

† Plur. R. P. Aloisius Klameth.

Dies 16 mensis augusti a. 1920 spem magnam provinciae Vindobonensis abstulit. Eo enim die mortuus est superior eius Plur. R. P. Aloisius Klameth, in quo, cum vix quadragesimum vitae annum attigisset, et superiores et alumni provinciae magnas in futurum tempus spes reposerant.

Calendis ianuariis a. 1878 natus est in Grumberg Moraviae, Archidioecesis Olomucensis, die 3 ian. baptizatus. E quinque liberis penultimus erat. Cum undecim esset annorum, in seminarium minus archidioecesis receptus Cremsirium venit, ubi sex humaniorum classes absolvit. In litteris semper inter primores ex sodalibus numerabatur, morum autem gravitate non minus inter eos eminebat quam corporis statura procula. Annos natus quindecim per primam tonsuram, ut in seminario moris erat, clericali militiae adscriptus est. Quia patria eius Grumbergensis a collegio nostro in Monte Matris Dei prope civitatem Grulich sito haud longe distat, feriarum tempore Aloisius identidem ibi visus est. Ita Dei gratia in corde boni iuvenis suaviter fortiterque vocationi viam stravit, qua in congregationem nostram duceretur. Mense maio a. 1895 provinciae superiorem P. Schwienbacher adiit et absoluta sexta humaniorum classe calendis augustis a. 1895 Eggenburgum in novitiatum venit, quem vix incepérat, cum in libellum, quo fructus spirituales conferebat, scrispsit: « Primus et gravissimus liber lectionis spiritualis Sancta Regula est ». Ut huius libri tam spiritum quam litteram penitus addisceret, cuncta sibi proposita collineabat. Dum in novitiatu iuvenili fervore ad tironum exercitia incumbit, frater eius natu minimus Franciscus, qui Aloisium in seminarium secutus erat et in congregationem secuturus esse videbatur, morte abreptus est. Ipse Aloisius, cum corpus nimis excrevisset, ita ut organa interiora non eodem gradu sequi possent, sat labili erat valetudine, qua tamen non impidebatur, ne status religiosi officia apprime expleret. Festo igitur die Nativitatis B. M. V., 8 septembris a. 1896 ad professionem votorum admissus est. Tum per duos annos in studentatu nostro Leobiensi absolventis studiis humanioribus, philosophicis et theologicis Mauternae operam dedit annos quinque. Lectorum exspectationibus semper abunde respondit, inter clericos autem sodales suos, si corporis altitudinem excipias, nulla re conspicuus esse videbatur. Sacerdos ordinatus die 1 augusti a. 1902 post absoluta studia theologica Lincium missus est, ut cum decem sodalibus praefecto P. Georgio Freund semestre II probationis perageret. Cum exercitiis per quinque dies factis, quibus alter hic novitiatus inceptus est, explicit liber quartus et ultimus fructuum spiritualium, quem inter scripta eius reperimus.

Dum ceteri per domos Congregationis exeunt, ut laboribus apostolicis segetem copiosam congregarent in horrea, Aloius iterum scholas adire iussus est. Superior enim provinciae voluit, ut Doctoris theologiae lauream sibi compararet. Itaque P. Klameth universitatem scientiarum Vindobonensem adiit. Sed nondum doctoris laurae decoratus erat, cum a Rmō P. Generali Matthia Raus Mauternae studentium praefectus constitutus est die 14 iunii a. 1907. Doctoris pileo Vindobonae die 1 iulii accepto ad munus suum suscipiendum Mauternam properavit. Clerici in iuvenili praefecto virum gravem acceperunt, qui tamen bene sciret « miscere utile dulci ». Gaudebat, si clerici invicem lacesebant, ludis exitibusque favebat, sanitati eorum sollicite invigilabat; nec vero is erat, qui nihil negaret. Cum aliquando hortus abundantiam pomorum procreasset, clericis libenter permettebatur, ut quotidie ex eis gustarent. Quadam vero die, cum omnes congregati essent atque a praefecto consueta licentia peteretur, respondit: « Non est necesse, ut quotidie pascamini; in mense sumus mortificationis », et petentes remisit. Cum autem clerici quadam die proponerent, ut, si quis s. patroni festum acturus esset, is in recreatione vespertina ab aliquo sodali sermone gratulatorio e pulpito celebraretur, praefectus respondit: « Optima propositio », et usum hunc, qui et caritati fovendae serviebat et exercitii oratorii occasionem praebebat et iocandi ridendique campum latum aperiebat, toto tempore, dum praefectus erat, servavit. De incommoda valetudine nunquam questus est, clerici vero dolebant videntes praefectum non sine multo labore, quae muneric sui essent, facientem. Ex litterarum commercio relicto patet eum difficultates, quas sibi muneric sui officia afferrent, consultori generali P. Car. Dilgskron libere exposuisse, qui se id acturum promisit, ut a praefecti onere liberaretur. Sed anno 1909 iterum praefectus est creatus in triennium novum. Anno demum 1912 studentatum Mauternensem cum munere admonitoris et ministri in collegio Philippsdorfensi commutare potuit.

In novo laborum agro vir gracilis et imbecillus mirum est, quantum studium in animarum salutem procurandam adhibuerit. In exercitiis spiritualibus non raro 5 etiam vel 6 per diem considerationes habuit reliquo tempore confessiones excipiens. In dicendo Alphonsianam simplicitatem sectabatur et a quaesito orationis ornatus tam alienus erat, ut recordareris, cum adhuc praefectus esset, eum neomystam quandam corrigentem; ille enim, cum de Deo loqueretur, substantivo « Omnipotens » usus est, quod improbans P. Klameth: « Quare », inquit, « dicas Omnipotentem? Deum simpliciter dicas! ». Sed ipsa simplici veritate animas capiebat, ut iterum iterumque ad exercitia peteretur. Ab arduo missionum opere ob infirmam valetudinem, quoad fieri poterat, arcebatur, aliquando vero cum exisset, graves animarum manipulos reportavit. Bello exorto saepius ad exercitia exivit, quibus populus tristissimo illo tempore ad fiduciam, orationem et

morum reformationem invitaretur, in quibus fructum habuit multum, donec decreto R̄ni P. Generalis d. 25 augusti 1915 creatus est Rector collegii Budvicensis.

Budvicii invalescente bello Patrum labores in ipsa urbe ita aucti sunt, ut collegium curae animarum vix sufficeret, extra urbem sacrum ministerium exercere non posset. Mense martio a. 1917, duas missiones in ecclesia nostra instituit affirmans, quod multi negandum esse putaverunt, belli tempus praeprimis aptum esse. Eventus rem probavit. Populus enim frequentissimus ecclesiam amplissimam complebat, ita ut in missione germanica hominum 6000, in bohemica 10.000 ad sacramenta accesserint. Inter alias autem difficultates domum sibi creditam tam prudenter gubernabat, ut pax eo rectore non turbaretur.

Mox ad altiora vocatus est. Die enim 19 maii anni 1918 a R̄mo P. Generali provinciae Vindobonensis Superior nominatus est, vix a multis expectatus, sed ab omnibus cum summo gaudio exceptus. Ad S. Clementis sepulchrum igitur Vindobonam migravit, ubi ingressum suum fecit explicandis et applicandis verbis illis ex libro I Regum, 16, 4.5: « Venit (Samuel) in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis occurrentes ei dixeruntque: Pacificus est ingressus tuus? Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini et venite mecum, ut immolem». Quae verba alio sane, quam ipse tum opinari poterat, sensu in eo eventum habuere.

Post ingressum provincialatum statim se cinxit, ut in Helvetiam proficiseretur ad R̄num P. Generalem, qui in pensionatu Bertigny aestivabat. Reversus laborare coepit, ut ordinem, quem belli perturbatio in domibus provinciae plus minusve laeserat, restitueret, quod bello finito reversisque a servitio militari Patribus et Fratribus paulatim perfecit. In germana Bohemiae parte comitissa de Nostitz-Rieneck novam nobis sedem offerebat prope civitatem Plan, ubi pulchra et magna ecclesia S. Annae honori dicata exstat. Provincialis libenter acquevisset, sed exortis mox post belli exitum turbis rem ad finem perducere non potuit; tantummodo duo Patres diversorio ibi utebantur cum laetissimo fructu ad sanctuarium S. Annae et in regionibus adiacentibus operantes. Belli exitus et infausta Austriae fortuna simul cum variis turbis inde exortis, quarum partem etiam provincialis noster expertus est, debilem sane eius valetudinem incommodo afficiebant, idque eo magis, quia quidquid maerore eum afficeret, in animo occludere et alias celare studebat. Debilitatum eum sollemnia invenerunt, quae Vindobonae celebranda erant, cum centesimus a beata S. Clementis M. Hofbauer morte recurreret. Sed ipse sibi parcere non noverat atque in apparatu festivitatis digne confiendo indefessus erat. Festis peractis fessus occubuit neque iam sive assidua Fratrum S. Ioannis de Deo cura, in quorum hospitali diu iacuit, sive rus Katzelsdorfense, sive radii roenttg-

nici, quos medici adhibere voluerunt, quidquam prodesse poterant. Itaque die 7 augusti cum medicorum consensu in domum studentatus nostri Mauternam translatus est comitante medico et P. Weimann, qui et ipse aerogrotus sanitatis restituendae causa Mauternam petebat, et quia moribundum fere comitabatur, s. infirmorum oleum secum paratum habuit. Provincialis enim et Mauternae valetudinem commodiorem sperabat, et, si Dominus eum evocasset, ibi in coemeterio nostro sepeliri exoptabat. Sepulcrum invenit. Mauternae post breve levamen febris ita crevit, ut die 12 augusti morientium sacramentis muniretur. Die 14 augusti ultimam dispositionem fecit, qua capitulum provinciale in diem 22 septembbris convocavit secretarioque suo per telegramma mandavit, ut hanc suam dispositionem singulis collegiis proponendam curaret. Cum nocte sequenti doloribus premeretur maximis, audire poteras dicentem: « Domine Iesu, Tu scis me non fuisse dolorum impatientem; sed nunc adiuva me! ». Die 16 augusti, quae erat feria II, hora noctis 2 iterum S. Viaticum accepit, quo accepto placida voce « Iam », inquit, « finis prope est; iam non diu durabit », et hora noctis 3 animam Deo reddidit.

Ad funus efferendum undique ex provincia domorum Rectores et defuneti Admonitor convenerunt, Vindobonae vero in sede provincialis Rm̄us Episcopus titularis et Vicarius generalis Dr Iosephus Pfluger adstantibus non solum nostris, sed etiam e clero utroque et populo multis Missam de Requiem in pontificalibus celebravit.

Ita spem magnam Congregationis, praesertim vero provinciae nostrae Vindobonensis, quod nos homines dicere possimus, nimis mature fractam extulimus.

---